

Casus Moralis

Sempronia, filia cuiusdam agricolae, sciens omnes sorores in nuptias traditas esse et pinguem dotem a patre accepisse, ipsam vero laboribus semper intentam quin unquam aliquid sibi acceperit, a patre postulavit ut, post mortem suam, majorem sibi relinqueret portionem quam ceteris sororibus. Cum pater hoc ei denegavisset, Sempronia occulte sibi compensavit quantum ei debebatur pro labore tot annorum in domo paterna.

QUAERITUR:

1o. Quenam jura habeant filii familias in bona a se acquisita dum adhuc sub paterna potestate sunt.

2o. Num filii exigere possint mercedem pro labore in domo paterna exantlato.

3o. Quid de modo agendi Semproniae dicendum.

SOLUTIO:

Ad Ium. — In Iure Romano bona quae filii familias acquirere poterant distinguebantur in: a) *castrensia*, quae filii sibi acquirerebant ex militia vel alio publico officio, b) *profectitia*, quae a patre accipiebant vel ex bonis patris lucrabant, et c) *adventitia*, quae filiis aliunde proveniebant, e.g. hereditate, donatione, etc. Hodie vero in recentibus Codicibus civilibus bona distinguuntur in: a) *libera*, ea nempe quae separata industria acquirunt filii, et generatim ea sunt quae filii acquirunt extra domum paternam vacando sive publico officio, sive arti, sive negotiationi, sive operam suam exteris locando, licet in familia degant, et b) *non-libera*, quae non separata industria acquiruntur et ea sunt quae filii domi acquirunt laborando in negotio patris, vel etiam extra domum si pater operam locaverit praecipue si, pro conditione sua, illos labores domi ipsis filiis imponere debuisset.

His praemissis sint principia: I. In *bona libera* filii, etsi minores, dominium directum (radicale) habent; illorum tamen bonorum administratio, et quandoque etiam usus fructus, ad patrem pertinet. Cum igitur administratio ad patrem spectet ea bona patri tradere debent filii familias et si, in scio patre, ea sibi clam retinent, illicite agunt administrationem sibi arrogando. Imo si filii familias extra domum paternam laborant et integrum salarium vel partem salarii sibi retinent adeo ut sustentationis expensas, si domi habitant et alimentur, non solvant, per se contra iustitiam peccant nisi saltem parentes in hoc consentiant.

II. In *bona non-libera* filii, etsi minores sint, nullum jus habent cum ad patrem pertineant. Etenim fructus laboris quem

fili nomine patris exercent patri cedunt. Igitur si haec bona, parentibus invitis, subtrahunt, contra iustitiam agunt.

Ad 2um. — Antequam huic secundo quaesito responsum detur, videndum est utrum filii isti *minores* sint an *maiores*. Primi filii dicuntur puberes usque ad emancipationem, secundi vero illi dicuntur post emancipationem et ideo sui iuris sunt. Annus vero emancipationis in diversis codicibus civilibus diversus est. Apud nos "*Majority is fixed at the completion of the eighteenth year of age*" (1).

Distinguendum est insuper inter laborem *ordinarium* et laborem *extraordinarium*. Primus dicitur ille labor qui pro conditione patris ad decentem et convenientem familiae sustentationem necessarius est; secundus vero ille dicitur labor qui ratione aetatis vel status indebitus sit vel prae ceteris fratribus *notabiliter* plus laborando patrimonium paternum non parum augetur.

His praemissis dico: I. Filii *minores* mercedem pro labore suo exigere nequeunt; dum enim sub paterna potestate sunt, parentes iure exigere possunt ut, ad conservandam augendamque rem domesticam, adlaborent.

II. Filii *maiores* pro labore *ordinario* similiter nihil exigere possunt. Quid sane magis congruum quam ut filii patrem adiuvent in sua arte quam inde et ipsi addiscunt? Filii censentur laborare uti membra familiae, et sic omne lucrum in bonum familiae cedere debent. Hinc filius opificis, qui patrem adjuvat, non potest exigere stipendium, quia pater ius habet ut a filiis iuxta conditionem status sui adjuvetur. Item rationi nil magis congruum quam ut filii patris agricolae eum in agricultura adiuvent.

Attamen pro labore *extraordinario* aliquod lucrum filii sibi vindicare possunt uti plures auctores docent. Ratio est 1) quia nullo iure extraordinaria haec obsequia exhibenda sunt patri titulo gratuito; siquidem axioma est a romana lege sancitum et ab omnibus admissum: *Pietatem liberi parentibus, non opera debent*. 2) Filii familias non censentur peioris conditionis quam essent extranei, quibus, hoc in casu, concederetur stipendium pro excessu laboris ad quem alivnde non tenentur. Adjunge tamen: nisi filii familias expressam intentionem ab initio habuerint illos

(1) *The revised edition of the laws of Malta*, 1942, vol. III, Chap. 23, Sec. 224. Majoritas ergo in iure civili non est confundenda cum majoritate in iure canonico. Etenim in C.I.C. majoritas habetur expleto vicesimo primo aetatis anno (Can. 88, par. 1). Codex I.C. hac in re, maiorem partem codicum civilium modernorum secutus est.

labores extraordinarios gratis praestandi. Hoc in casu non licebit eis, mutata voluntate, stipendium postea exigere. Insuper deducendae sunt expensae quas pater eodem tempore fecerit pro alendis vestendis ac educandis filiis; pater enim non tenetur ex suis solvere pro filio potenti et volenti lucrari.

Ad 3um. — Modus agendi Semproniae videtur omnino reprobandus. Etenim non patet ex casu laborem suum, quamvis 'semper (ei) intentam', extraordinarium fuisse. Ideoque, uti patet ex dictis, nullam mercedem exigere poterat. Neque ratio cur sorores in suis nuptiis pinguem dotem a patre receperint excusatur quia pater in donis collandis liber est. *Decet* utique ut Sempronia, post mortem patris, majorem portionem obtineat; sed pater, forsitan ob validas rationes, hanc portionem relinquere non vult. Neque Semproniae *partem legitimam* denegat pater. Quare occulta compensatio in furtum ei imputatur. Non ita tamen dicendum si labor aliquando revera extraordinarius fuisset, quo in casu *aliquam* compensationem Sempronia a patre exigere potuisset. Si autem ius certum et evidens ad aliquam compensationem habuisset, stricte loquendo, occulte se compensare potuisset eo quod titulo gratuito, ex grato animo, non laboraverat uti saltem patet ex sua inani petitione patri facta ut, post mortem suam, majorem prae ceteris sororibus portionem relinqueret. Dixi supra "aliquam compensationem", non excedendo nempe aestimationem laboris et industriae, seclis quoque expensis patris pro alimento et vestitu eiusdem uti supra dictum est, exclusaque mercede pro labore quem adhuc minorennis sub patria potestate peragerat et non pro "labore tot annorum in domo paterna" exantlato.

Nonne ad restitutionem tenetur Sempronia? Mihi sic videtur, quamvis alii inclinentur ad illam deobligandam. Iustitia enim palam est laesa. Et prudenter praesumi non potest parentes restitutionem condonare voluisse. Voit adnotat quod si filius aut filia assidua in domo paterna *aliquid peculii pro honesta recreatione surripiat*, non videatur ad restitutionem facile quidem obligari, eo quod pater prudenter praesumi possit illam condonare nec esse solet invitus nisi quoad modum (2). In casu nostro Sempronia non "aliquid peculii" sed ingentem summam surripit et quidem patre non consentiente. Rationem igitur cur Sempronia ab aliqua saltem restitutione deobliganda sit non video.

A. TABONE.

(2) Voit, E., *Theologia Moralís*, Pars Prima, Q. 806.